



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **GURUENSIS** IN MOZAMBICO NOVA  
CONDITUR DIOECESIS GURUENSIS Enixam suscipientes postulationem Venerabiles Fratres  
Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules, qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione sunt  
praepositi, re mature perpensa auditisque pariter eorum, quorum interest, votis, censuerunt nuper  
intra fines Mozambici novam condendam esse dioecesim. Nos igitur, pro gravissimo, quo  
fungimur, munere solliciti quoque de spirituali salute atque regimine Christifidelium eadem in  
Natione commorantium, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec  
decernimus. A Quelimanensi dioecesi separamus sive territorium districtuum civilium, qui patrio  
sermone nuncupantur Guruè, Namarrói, Ile, Alto Molócuè, Gilé et Pebane sive districtus civilis  
Milange partem Molumbo appellatam; ex iisque novam constituimus dioecesim Guruensem, quam  
metropolitanae Sedi Beirensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro  
Gentium Evangelizatione subicimus, cuius limites iidem erunt ac illi qui supra sunt definiti.  
Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in urbe Guruè atque templum ibidem exstans, Deo in  
honorem Sancti Antonii dicatum, ad dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero  
secundum canonicas Leges temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum Venerabilis  
Fater Petrus Stephanus Zurbriggen, Archiepiscopus titulo Glastoniensis et in Mozambico  
Apostolicus Delegatus, vel ab eo delegatus sacerdos, factis nempe necessariis facultatibus. Re  
autem acta, documenta exarentur sincerisque exemplis ad Congregationem pro Gentium  
Evangelizatione cito mittantur. Has denique Apostolicas Litteras sub plumbo datas nunc et in  
posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud  
Sanctum Petrum, die sexto mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo  
tertio, Pontificatus Nostri sexto decimo.*

|   |   |
|---|---|
| ANGELUS card. SODANO<br><i>Secretarius Status</i> | IOSEPHUS card. TOMKO<br><i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i> |
|---|---|

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LXXXVI (1994), n. 6, pp. 469-470

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana